

ditur à ratione scientiæ Fides, ipsa etiam divina, licet vel certitudine scientiam hanc longè superet.

§. 4. Tertiò accipitur scientiæ vox generatim & præcisivè pro certa & evidente alicujus rei cognitione, abstrahendo à conditionibus materialibus, an sit discursiva an verò immediata? Ita enim Svarez *Disp. Met. 30. sect. 15. n. 2. p. m. 111.* quando evolutione æquivocationis quæ in voce scientiæ occurrit, se præparat ad tractationem de scientia Dei: *Scientia hic abstractissimè sumitur præscindendo à creatâ & increatâ, & solum significat claram & evidentem ac perfectam cognitionem seu perceptionem veritatis, seu objecti scibilis, sive illa perceptio fiat per qualitatem sive per substantiam sive cum effectione & receptione, sive absq; his imperfectionibus. Conf. m. Ampliſſ. Dn. D. Bechman. in accuratissimo de scientia Dei tractatu c. 1. §. 13. p. m. 18. & citatum ibid. Didacum Ruiz. disp. 1. de scientia Dei sect. 1. n. 4. qui Teste Francisco de Oviedo de anim. cont. 7. p. 6. §. 3. p. m. 113. in Tomo de scientia, ubi de hac (scientia de objecto conditionato libero disputans) propriam suam eruditionẽ superasse videtur, neq; inter DD. Scholasticos ullum invenit (Oviedo) quem cum hoc doctissimo viro in hac re compareret. Et in hoc significatu excludit quidem adhæſionem circa objectum obscurum occupatam, non tamen est condistinctum scientiæ in secundo significatu modo adductæ, sed ad eam se habet ut excedens ad excessum, amplum ad non amplum.*

§. 5. Ex variis hisce acceptionibus scientiæ nec prima nec secunda, sed sola tertia aliquid momenti in præſenti negotio habet. Licet enim quod attinet primum significatũ, non diffiteamur, etiam ab hominibus haberi posse scientiam futurorum liberorum conditionatorum, huc tamen non quadrat scientia in primo significatu; Confirmatur adsertum quoad priorem partem: Si v. g. Deus revelavit, aut adhuc, si vellet revelaret objectum futurum liberum conditionatum, e. g. hoc: Petrus qui vivet in sequenti seculo, vel qui hodie in peccato mortali vivit, finaliter tamen crediturus est, si ipsi auxilia gratiæ sufficientia dederit, tunc sciremus hoc ita esse futurum, quia Deus falli & fallere nescius illud revelavit. Quoad posteriorem partem probatur ex verbis & sensu quæſtionis, non enim de quacunq; scientiâ, sed de scientiâ divinâ controversia movetur. Quod vero ad secundum attinet significatum quàmvis quæri posset: an sit dabilis scientia sive cognitio evidens discursiva de objecto futuro libero conditionato, si de potentiâ absolutâ  
Dei